Decretum

Anno Domini 1875 opera piae ac nobilis mulieris Isabellae De Rosis, annuente Eminentissimo Archiepiscopo, Neapoli ortum duxit Institutum vulgo nuncupatum: = Suore Riparatrici del S. Cuore di Gesù =. Quae quidem Sorores, praeter finem primarium assequendi propriam cuiusque sanctificationem, peculiarem sibi proponunt scopum, qui in eo est, ut civilem et christianam instructionem puellis impertiant, pauperibus feminis aetate provectis assistant, orphanas colligant et mulieres ad exercitia spiritualia peragenda recipiant. — Cunctae autem communi utuntur habitu et victu sub regimine Moderatricis Generalis, et, expleto noviciatu, tria vota obedientiae, paupertatis et castitatis prius ad tempus, dein in perpetuum, ritu simplici, nuncupant. —

Praeter domum principem Neapoli sitam decem sunt Instituto domus in novem regionis Neapolitanae dioecesibus rite constitutae, sacris Praesulibus annuentibus, imo non mediocriter laetantibus ob salutarium fructuum ubertatem, Dei favente gratia, inde sequutam. - Cum autem nuper praefata Instituti fundatrix, quae moderatricis generalis adhuc munere fungitur, eiusque Consiliariae SSmō Domino Nostro Pio Divina Providentia PP. X. humillime supplicaverint ut Institutum ipsum Apostolica Auctoritate approbare aut saltem speciali aliquo favore prosequi benigne dignaretur, Emus Archiepiscopus Neapolitanus caeterique sacrorum Antistites, qui suis in dioecesibus praefatas Sorores se habere laetantur, datis ultro litteris, earum preces summopere commendare non dubitarunt. - Itaque Sanctitas Sua, re mature perpensa, attentisque commendatitiis litteris praefatorum Antistitum, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto die 1° huius

A 1519
16

mensis memoratum Institutum, uti Congregationem votorum simplicium, amplissimis verbis laudare et commendare dignata est, prout praesentis decreti tenore ipsum laudatur et commendatur, salva Ordinariorum iurisdictione ad normam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum, dilata ad opportunius tempus tum ipsius Instituti tum eius Constitutionum approbatione.

Datum Romae ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 12 iulii 1906.

D. Card. Ferrata Praef.

S. CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM
Pro Taxa et Expensis
Lit. Gratuitum
Pro Agentia Lit. Taxa

M. Giustini Secret.